

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Meditationum evangelicarum pars secunda, hoc est:  
Solida, ad discendam & exercendam, ex evangeliis tam  
dominicalibus quam festivalibus Christi & sui-ipsius  
notitiam, informatio**

**Creide, Hartmann**

**Francofurti ad Moenum, 1682**

Dominica reminiscere

[urn:nbn:de:bsz:31-126164](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-126164)

Quæramus igitur victoriam, per eum, qui nunquam victus est, sed qui vicit in omnibus, ut Ambrosius monet, sic & nos vincemus propter eum, Rom. 8, 37. 1. Job. 5, 4.

III. *Tanquam Dominus Angelorum magnificentissimus.* Discedente enim Diabolo, Angeli accesserunt, & ministrabant ei.

Sancti Angeli idè creati sunt, ut Deo ministrarent, & adstant, quam ob causam etiam πνεύματα δεσποζύια nominantur, Heb. 1, 14 qui coram facie Dei adstant, & non solum ejus mandata expediunt, Ps. 103, 20. sed etiã Deum ter sanctum indefinenter celebrant, ipsiusq; gloriam, ter geminã hymni repetitione, velut amplificanc. Job. 38, 7. Es. 61, 1. 3.

Hoc etiam de Christo intelligendum venit, qui tanto melior Angelis effectus, quanto excellentius præ illis nomen hæreditavit. Hebr. 1. v. 4. Phil. 2. v. 10. 11.

Angelus conceptionem ejus annuncia- vit, Luc. 1. In Nativitate ejus totus militiæ cœlestis exercitus apparuit, & intonuit: Gloria in Excelsis Deo, Luc. 2. v. 30.

Josepho Angelus in somnio apparuit, & fugam Ægypti consuluit, cum Herodes quæreret puerum perdere, Matth. 2. v. 13.

In passione Angelus ipsum confortavit, Luc. 22. v. 43.

In resurrectione Angeli mulieribus apparuerunt, & dixerunt: Surrexit, non est hic. Mare. 16. v. 6.

In Ascensione Angeli currum ejus triumphalem adornarunt, eumq; in numero

vicies centenorum millium comitati sunt. Ps. 68. v. 18. Die novissimo rediturus est in majestate sua, & omnes sancti Angeli cum eo. Matth. 25. v. 31.

Ex quibus omnibus satis apparet, quod Jehova ille sit, qui angelos sub obsequio habet.

Rex Salomo quadraginta millia equorũ habebat, qui ad currus jungebantur, & duodecim millia equestrium, quos præfecti Salomonis nutrire tenebantur, 1. Reg. 4, 26.

Hoc nihili æstimandum venit, ratione Christi. De hoc enim dicitur: Millia millium (Angelorum) ministrabant ei, & decies centena millia adstant ei. Dan. 7, 10. Propterea vocatur Dominus Zebaoth, Ps. 24. v. 10. In quorum numerum quoq; sancti Angeli referendi sunt, qui omnes ipsi à servitio sunt, & celeres, instar ventorum, mandata ejus exequi tenentur. Psalm. 104. v. 4.

Quapropter cum animi piã devotione eum invocemus, quod si enim infernalis ille tentator ad nos venit, jaculis suis ignitis nos læsurus, dabit ille nobis, de his, qui adstant sibi, ut in Exordio ex Zacharia audivimus: hi nos custodient, in omnibus viis nostris, Psalm. 91. v. 11. & tandem in hora mortis animam nostram, quando corpore soluta est, portabunt in sinum Abraham, Luc. 16. v. 11. Ubi nullum tanget eam tormentum. Sap. 3. v. 1. Largiatur hoc nobis Deus ter Opt. Max. per Jesum Christum,

Dominum & Salvatorem nostrum!

Amen.

## Dominica Reminiscere.

*Evangelium. Matth. 15. v. 21. --- 28.*

### EXORDIUM.

**C**um Amalekitæ in Raphidim irrupissent, & extrema Israëlitarum castra, quæ ex mulieribus & liberis constabant,

percussissent, Moses Josuæ mandabat, ut eligeret viros, & pugnaret adversus Amalec, ipse verò ascendebat super verticem col-

col-

collis. Cumq; levaret manum Moses, vincebat Israël; sin autem paululam remisisset, superabat Amalec. Ideo Aaron & Hur etiam adscendebant montem, & quia manus Mosi erant graves, non solum fumentes lapidem posuerunt subter eum, in quo sedit: sed etiã sustentarunt manus ejus ex utraq; parte, dũ Josua Amalec planè delevisset. Hæc mirabilis erat victoria, propterea Deus mandabat Mosi, ut hoc ob monumentum in libro scriberet; & Moses ipse grato hoc animo agnoscebat, ædificato altari, quod vocavit: Jehova Nissi, Dominus vexillum meũ. Exod. 17. v. 8. & seqq.

Ex hoc cognoscere possumus, vim devotæ & indefessæ orationis, cui adhuc hodie studere debemus: scimus enim infernalem Amaleck nihil boni machinari, sed dies noctesq; ambulare, ut nobis viam ad cœlestem patriam intercludat. Imprimis verò invadit mulieres & pueros, h. e. simpliciores, sive infirmos in fide, qui ei non æq; resistere valent ac illi, qui pro consuetudine exercitatos habent sensus, ad discretionem boni & mali, Heb. 5. 14. Quando verò cum Mose super verticem collis adscendimus, h. e. ab omnibus terrenis cor abstrahimus, & ad Deum elevamus, qui operatur salutem in medio terræ, Pf. 74. 12. Et simul, si manũ graves esse incipiunt, illas fulcimus, ex una parte, Dei veritate, quòd mentiri nequeat, Heb. 6. v. 18. ex altera parte, Dei omnipotentia, qui non modò exauditionem nobis promittit: sed & potens est implere promissa, Eph. 3. v. 20. Ante omnia verò super Christo preces nostras fundamus, qui verus salutis nostræ lapis angularis est, Eph. 2. 20. nihil ad eò difficile erit quin impetremus: Pater enim diligit filium, Joh. 5. 20. Et quæcunq; petierimus Patrem in nomine ejus, dabit nobis, Joh. 16. 23. Ideò fonticam causam habemus,

ut exstruamus Domino altare, cum hac inscriptione: Jehova Nissi, Dominus vexillum meum, in fortitudine salutis dexteræ suæ, Pf. 20. 7. propterea in diebus meis invocabo eum, Psalm. 116. v. 2. Psalm. 13. v. 6. 7.

Egregium Exemplum habemus in muliere Cananæ, in prælecto Evangelio, quæ ad eò ardentè & instanter oravit, ut Christum, utut se valde inhumanum & austerũ præbuerit, tandem vicerit, & victoriam reportarit, siquidem ipse in calce Evangelii palmam ei tribuit, dicens: O mulier, magna est fides tua, fiat tibi sicut vis. Ideoq; & ipsa dicere potuisset: Jehova Nissi. Quod si enim verum est, quod Patrum nonnulli existimant, quod mulier hæcce è posteris viduæ Zarith fuerit, quæ in ammonæ angustiis Elian hospitio exceperit 1. Reg. 17. 15. Deus horum beneficiorum eam participè reddidit, ut per fidem hæc ethnica mulier superaverit, & tantum Elogium à Christo reportaverit, de quo usq; ad diem ultimum in Ecclesia Dei prædicabitur, ad instar mulieris, quæ Christum in domo Simonis leprosi Bethaniam unguento pretioso delibutum reddidit, Matth. 26. v. 13.

Nos absq; ulteriori præloquio ad ipsum Evangelium nos convertemus, pro instituti ratione consideraturi.

I. Ἀρχαῖα ποροῦν, sive notitiam nostri.

II. ἀρχαῖα Χριστοῦ, sive notitiam Christi.

J. J.

Exegesis.

**H**Odierna Dominica appellata olim fuit *Reminiscere*, quia in Ecclesia Latina sub initium cultus divini cantatum est: Reminiscere miserationum tuarum Domine, & misericordiarum tuarum, quæ à seculo sunt, ex Psalm. 25. v. 6.

Hoc mulier Cananæ sedulo egit, quæ Christo Reminiscere hoc, tamdiu ingeminavit, donec

donec tandem responderit: Fiat tibi, sicuti vis. Idèd hodie Ecclesia nobis fidem ejus proponit, ut discamus ab ea, quomodo & nos in spiritualibus tentationibus, quando Deus faciem à nobis abscondidisse videtur, ad exemplum ejus precibus instare, & tandem opem Dei implorare debeamus, dum respondeat nobis, Fiat, fiat, hæc ita debent evenire.

Notitiam nostri verò discere possumus, quando perpendimus:

I. *Filiola tribulationem*, quam h. m. mulier Cananæa Christo proponit: Miserere mei Domine, fili David: Filia mea malè à Dæmonio vexatur. Κακῶς δαιμονιζέται est in Græco, quo ipso innuitur, Diabolum corporaliter eâ obsedisse, & miserandis modis cruciâsse, ut neq; dies neq; noctes quiete frui illa potuerit. Marc. 7, 25. appellat θυγάτηρ Ἰσραὴλ, & memorat simul, quod habuerit, πνεῦμα ἀκάθαρτον spiritum immundum, unde colligi potest, quod non modò à Diabolo miserè afflicta: sed & ad maledictiones & blasphemias impulsâ fuerit.

Hoc miseræ speculum matri quotidie ante oculos verfabatur, quò mirificè illa turbata fuit. *Post sensû enim iræ divinæ, summus est dolor illi, què parentes ex calamitate sobolis percipiunt*, ut Philippus Melanchton ait. Exempla habes in Hagar, Gen. 21, 16. Jacobo, Gen. 37, 34. David, 2. Reg. 4. v. 17. aliisque.

Idem adhuc hodie in parentibus cernimus, quantâ ægritudine & merore conficiantur, si liberorum ærumnas intueri coguntur.

Ὁὐκ ἔστι γὰρ συνίζησε θεὸς τοκεῖσιν ἡ γονίμωσιν inquit Gr. Nazianzenus. Ita Deus parentes & liberos conglutinavit, ac si in poculo ipsis amorem infudisset. Si itaq; liberis bene, & illis bene est: sin malè, non major iis dolor accidere potest.

*Hic examines velim te, mi Christiane, si ejusmodi malum incurris, annon peccatis tuis id provocaveris?*

Hoc sæpiusculè fieri certum est. Familiare enim Numini supremo est, ut peccata parentum in liberis puniat, quia novit, majorem inde sollicitudinem parentibus advenire, quàm si ipsorum corpus affligat. Liberorum enim dolor proprius dolor, *Kinden kommen von Herken / und gehen wieder zu Herken* / ut in Proverbio dicitur. Hinc parentes sæpe aded afflictantur, ut qs. stupefcant, & miseriam lacrymis delere nequeant. Imò sæpe præ nimia animi ægritudine lacrymam nullam emittere queunt, & reipsâ probant illud Pfammenitti: *Domestica mala majora sunt lacrymis.*

Sedulò igitur providendum est, ne in juventute, impiâ vitâ nostrâ aliquid intriverimus, quod deinde, postquam conjugium contraximus, liberis nostris exedendum sit, ut Israëlita de eo querebantur, Ezech. 18, 2.

Deus enim Dominus noster, fortis est Zelotes, visitans iniquitatem patrum in filios, in tertiam & quartam generationem. Exod. 20. v. 4.

Caveamus quoq; diligenter, ne ad exemplum impiorum parentum liberis nostris maledicamus, & mala imprecemur, aut diris eosdem devoveamus. Benedictio enim patris firmat domos filiorum: maledictio autem matris evertit fundamenta. Sir. 3. v. 10.

Potius nostrum erit, eosdem educare in timore & disciplina Domini, Eph. 6, 1. Eosdè castigare. Stultitia enim colligata est in corde pueri, & virga disciplinæ fugabit eam, Prov. 22, 15. Bonis exemplis præluere, & precibus eosdè Deo commendare, Exemplo Abrahami, Gen. 17, 18. Sic nullâ in iis potentiam satanas inveniet, cui aliàs volupe est

nobis,

nobis, nostrisq; incommodare, Job 41, 13.  
Pfal. 109. v. 27.

II. *Matris supplicationem.* Et ecce, mulier Chananæ à finibus illis egressa, clamavit, dicens: Misere mei Domine, fili David: Filia mea valdè à Dæmonio vexatur. Marcus vocat Syrophœnissam & gentilem. Quia itaq; multa de miraculis Christi audiverat, idè quoq; ipsi miseriam suam exponere vult, & firmâ hâc fiduciâ nititur, per Christum se & filiam suam ab hoc malo liberatum iri.

Hoc idè nobis proponitur, ut ab hâc muliere discamus, quorsum in calamitatibus ire, & ad quem convertere debeamus nos, auxilium & liberationem imploratum.

*Hic velim examineste, mi Christiane, utrum in adversis, quando uxor & liberi adversâ valetudine laborarunt, aut pecudes veneficio infecta fuerunt, aut alius casus in idit, justo loco auxilium quaesitum i veris?*

Hæc res magni est momenti. Calamitas quidem & ærumnæ nunquâ deficiunt, quotidianè infortunium præ foribus quiescit, sed multi verum opitulatorem in malis non volunt agnoscere, derelinqentes fontem aquæ vivæ, & fodientes sibi cisternas, cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas, Jerem. 2. v. 13.

Sic in Papatu liberi Sanctorum cupiam deo veri solent, si forsân morbus ei obrepit. Multi ad Sagas, veneficos & alia Diaboli organa currunt, & ibi opem quaerunt, uti Saul, 1. Sam. 28. v. 7. seqq.

Sed impiam hoc est, & veris Christianis indignum!

Mulier Chananæ rectâ ad Christum ivit, qui in mundum idè venit, ut dissolveret opera Diaboli, 1. Joh. 3. v. 8. & salutem operatur in medio terræ, Psalm. 76. v. 12.

Idem etiam nobis faciendum est. Imò veri Christiani citius mortem oppetere debent, quàm per iniqua, nedum venefica media vitam conservare, aut convalescere vellet. Anima enim magis est quàm corpus. *Omnia nobis duplicia dedit Dominus, duos oculos, duas aures, duas manus, duos pedes, si igitur alterum horum ladatur, per alterum consolamur necessitatem: Animam verò unam tantum dedit, si hanc perdidimus, quâcumq; vivemus?* inquit Chrysostomus.

Omnes enim qui per venefica ejusmodi media, cujus cujus farina illa sint, sanantur, corporis quidè interdû levamen sentiunt: sed anima gravissimè sauciatur. Ergò quilibet audiat vocem Angeli: Salva animam tuam, Gen. 19, 17. Matth. 16, 26.

III. *Apostolorum interpellationem.* Cum enim mulier illa frustra Dominum inclamaret, discipuli, commiseratione moti, accedentes, rogabant eum, dicentes: Dimitte eam, quia clamat post nos.

Pontificii hoc ipso invocationem Sanctorum stabilire satagunt. Sed frustra. Neq; enim hic legimus, mulierculam hanc, Petrum, Jacobum, Johannem, aut B. Mariam invocasse: potius illa ad fontem se confert, ut Chrysostomus ait, fontem nempe misericordiarum, qui est Christus, inquiens: Domine fili David, misere mei! Præterea ex verbis discipulorum colligere non possumus, quòd eum in finem pro eâ intercesserint, ut ipsi opem ferrent: sed præ impatientiâ potius eos hæc verba protulisse videtur, q. d. Dimitte, & amolire eam, ne nobis clamore suo molesta sit. Simile exemplum occurrit, Marc. 6, 3, 6.

Positò autem, discipulos pro hâc mulierculâ intercessisse, hinc tamen minimè sequitur, sanctos demortuos, aut animas corpore solutas de intercessione invocandas esse. A-

R

braham

braham enim nescit nos, & Israël ignorat nos, Esa. 64. v. 16. Hinc Elias ad Elisam in cœlum adscensurus ait: Postula quod vis, ut faciam tibi, antequam tollar ad te, q. d. jam opportunū est, me verò ablato, frustra precaberis, 2. Reg. 2. v. 9.

*Hic interrogas te velim, mi Christiane! utrum & tu proximo tuo inservieris, & pro eo, ubi opus fuit, intercesseris?*

*Hoc officium nostrum requirit.*

1. *In foro poli.* Sic enim Jacobus: Orate pro invicem, c. 5. v. 16. Et Paulus jubet obsecrationes & orationes fieri pro omnibus hominibus, 1. Tim. 2. v. 1. Hoc mandatum Dei est, cui obtemperare tenemur. Sed hoc discrimen observandum est, quantum hostes veritatis concernit, quod trifariam considerari debeant. Quidam enim persequuntur ecclesiam, & ejus membra, ex ignorantia, pro his orandum est, ad exemplum Christi, & Stephani: Domine ne statuas illis peccatum hoc, quia nesciunt, quid faciant, Act. 7. v. ult. Alii faciunt ex precipitantia, quia ab hostibus veritatis ita persuasi sunt, cum tamen aliis non adeo mali sint, & spes sit ipsos convertum iri, si modo melius informari possent. Pro his orandum, ut aut Deus convertere, aut eorum propositum inhibere velit, Prov. 16. v. 9. Nonnulli verò ex petulantia faciunt, ibi falsa conscientia precibus pro iis abstinere possumus, uti Samuel pro Saulo orare prohibebatur, 1. Sam. 15. v. 35. Et Jeremias pro impiis Israëlitis, Jerem. 7. v. 16. Huc omnes imprecationes adversus impios pertinent, Pf. 55. 24. Pf. 109. 6. Pf. 119. 5. Et imprimis zelus Pauli: Utinam excindantur, Gal. 5. 12.

Hoc ergo fideliter observabimus, ut semper pro nobis invicem oremus. Pastores pro Auditoribus, ad exemplum Samu-

elis, 1. Sam. 12. v. 23. Auditores pro Pastoribus, ad exemplum sanctorum Hierosolymitanorum, Act. 12. v. 12. Pii Magistratus pro subditis, exemplo Davidis, 2. Sam. 24. v. 17. Subditi pro Magistratu, ut captivi Judæorū in captivitate Babylonicā pro Nebucadnezare, Jer. 29. 7. Parentes pro liberis suis, uti Abraham, Gen. 17. v. 18. Liberi pro parentibus, ut quartum præceptum requirit. Hoc non frustraneum erit. Voluntatem enim timentium se, faciet Deus, & clamorem eorum exaudiet, Pf. 145. v. 19.

2. *In Foro soli.* Aperci os tuum muto, & age causam omnium, qui exterminantur, Prov. 31. 8. Neque Pastoribus vitio vertendum, si quando pro Auditoribus suis intercedant. Sic enim Concilii Sardicensis decretum sonat: *Honestum est, ut Episcopi intercessionē his præstent, qui aliquā vi opprimuntur, aut si vidua affligatur, aut pupillus exspolietur.* Quā intercessionem Eusebius Samamitidi offert, 2. Reg. 4. 13. Hoc caritas Christiana requirit, Rom. 12. 13. Gal. 5. 13. 1. Petr. 13. 11.

#### De Secundo.

**P**ergemus nunc ad alteram partem, *et nos* sive *notitiam Domini nostrā Jesu Christi* contemplaturi. Is nobis hic commendatur:

1. *Tanquam fidei nostra probator*, qui suos probat, ut fides multo pretiosior sit auro, quod per ignem probatur, 1. Petr. 1. 7.

Exemplum habemus in muliere Cananæ, quæ multa de Christo audierat, ut Marcus testatur, quo ipso fidem cōsecuta erat in eum, ceu mundi promissum Messiam, unde non dubitat, quin sibi quoque opitulaturus sit: sed Christus sese tam austerum erga eam exhibet, ut minimè mirum, si ipsa, re infecta, discessisset.

Hic adhuc hodie ejus mos est. Fides præcipuum

cipuum nostrum ornamentum est: Per hanc enim habitat Christus in cordibus nostris, Eph. 3, 17, & vires suppeditat homini interiori, ut corroboretur Spiritu, & mundum cum principe suo vincat, 1. Joh. 5, 4.

Quia verò multi de fide gloriantur, & ore dicunt, Domine, Domine, Matth. 7, 21. factis a. negant, Tit. 1, 16. vel tempore tentationis deficiunt, Luc. 8, 13. ideo sæpè instituit Dominus examen, ut qui probati sunt, manifesti fiant, 1. Cor. 11, 19. non quidem respectu sui, ipse enim corda & renes scrutatur Jer. 17, 10. & scit quid in homine sit, Joh. 2, v. 55. sed in nostrum commodum, ne exiti memmus, nos aliquid esse, cum nihil simus, Gal. 6, 3. sed cum Paulo gloriemur in infirmitatibus nostris, ut inhabitet in nobis virtus Christi, 2. Cor. 12, 9.

*Mulierem Cananeam Christus probavit trifariam.*

1. *Silentio.* Non enim respondit ei verbū. Hæc gravis erat tentatio, quā non parum turbata illa fuit. De Messia enim prædictum erat, non turbulentus nec tristis erit, Es. 24, v. 4. Antequam clament, ego exaudiam, Es. 65, 24. Nec minus ab aliis commendatus erat, quod afflictos libenter audiret, & adjuvaret: sed hinc contrarium illa experitur.

Multi adhuc hodiè idem experiuntur, ut calamitatibus pressi, putent, oclulisse cum orationem suam, & conclusisse vias lapidibus quadris, Thren. 2, 7. hinc querela: Domine usque quò, Psal. 13, 1.

At non propterea animum abjicere debemus, sed semper instare, & cum Jacobo dicere: Non dimittam te, nisi benedixeris mihi, Gen. 32, 26. Et iusto tempore subsidio veniet nobis, precesq; nostras exaudiet, juxta illud Hiobi: licet hæc celes in corde tuo, tamen scio, quia universorū memineras. c. 10, 13. Ideo enim non vult cito dare, ut tu discas

ardentius orare, ut Augustinus ait. Neq; n. tempus sibi præscribi vult, qui opportunū juvandi tempus optimè novit. Vid. Luc. 18, 8.

2. *Repudio.* Non enim sum missus, ait, nisi ad oves, quæ perierunt, domus Israël, q. d. tu gentilis es, ideo beneficia mea ad te nō pertinēt, quæ sanè duriora verba ipsi Cananæ causam præbere potuissent ad vale Christo dicendum. Non autem hæc ita intelligenda sunt, ac si Christus non omnium hominū salvator sit. nec ad eos redimendos in mundum venerit: sed discrimen facit Christus, inter munus propheticum & Sacerdotale. Hoc universale est, & ad omnes homines pertinet, 2. Cor. 5, 15. Illud v. propriè Judæos concernebat, & quidem *ratione ordinis*, quibus prius Evangelium prædicandum erat, quàm ethnicis, Act. 13, 46. unde etiam Minister circumcisionis ille dicitur Rom. 15, 8.

Quod si igitur & nobis dubitatio subortitur, utrum ad vitam æternam electi simus, non nimis scrupulosi simus, sed nitamur universali Dei promissione, qui omnes laborantes & oneratos ad se vocat, Matth. 11, 28. Nec curemus, quicquid alii in contrarium afferant, non dubitantes, quin Deus nolit ullos perire, sed omnes ad pœnitentiam reverti, 2. Pet. 3, 15. 16.

3. *Opprobrio.* Postquam enim denuò illa instat, dicens: Domine, adjuva me. Ille teritiò repudiat eam, ajens: Non est bonum, sumere panem filiorum, & mittere canibus. Judæos vocat filios Dei, gentiles verò canes, qui foris sunt, Apoc. 22, 15. 1. Cor. 5, 12. Illa dolorem dissimulans, Christi verba apprehendit, eumq; quasi proprio, ut dicere solemus, gladio jugulat, dicens: Etiam, Domine. Nam & catelli edunt de micis, quæ cadunt de mensa Dominorum suorū. Sic Dominum cogit, ut micæ gratiæ suæ sibi concedat, ad exemplum Davidis, Ps. 27, 8.

R. 2

Quod si

Quod si igitur & nobis conscientia nostra evigilat, ratione peccatorum commissorum, ut nos indignos reputemus, oculos nostros ad cœlum attollere, & gratiam divinam precibus sollicitare: Indignitatē nostrā nos absterre nō patiamur, sed verbo promissionis firmiter in hæreamus, in quo Deus omnibus seriam pœnitentiā agentibus gratiam & remissionem peccatorum promisit. Nihil itaq; restat, nisi ut è colluvie peccatorum surgamus, per seriam pœnitentiā, & cum filio perduto dicamus: Pater, peccavi in cœlum, & corā te, jam non sum dignus vocari filius tuus, fac me, sicut unum de mercenariis tuis, Luc. 15, 18. Tum Deus, qui nihil magis desiderat, quā conversionē nostrā, respondebit: Quod locutus sum tibi, adhuc recordor. Iccirco conturbata sunt viscera mea super te: miserens miserebor tui, Jer. 31.

Hic optimus modus est, omnes tentationes superandi; Qui verò incredulus est, non erit recta anima ejus in semetipso, Hab. 2, 4.

II. *Tanquam fuga sanctificator.* Christus Phariseos & Scribas acriter objurgaverat, & vaticinium Esaiæ iisdem applicaverat, Esa. 29, 17. Id nimis molestum iis erat, ideoque consilium inibant, quomodo ipsum occiderent. Hoc verò Christo, ut <sup>22. 2. 107. v. 157.</sup> clam non erat, propterea egressus est inde, & secessit in partes Tyri & Sidonis.

Hoc ipsò docere nos voluit, ut cuilibet aliās Christiano: sic & Ecclesiæ Pastoribus permissum esse, fugam in persecutione apprehendere, unde etiam Discipulos suos ita instruxit: cum persequantur vos in civitate istā, fugite in aliam. Matth. 10, 23. Idem fecit Paulus, Act. 9, 23. & Petrus, Act. 12, 19. Sicut & primæ Ecclesiæ Doctores, Athanasius, Chrysoströmus, Ambrosius aliiq;. Qui enim amat periculum, peribit in eo, Sir. 3, 27.

Quod si verò universalis persecutio ingruit, quæ toti ecclesiæ communis est, non Pastorem solum concernens: tum Pastor cū oviculis manere, & pati debet, quod Deus sibi, & Auditoribus suis decrevit, hoc solatio fretus, quod non patiat, quasi homicida, aut fur, aut maleficus: sed ut Christianus, glorificans Deum in isto nomine, 1. Petr. 4. v. 15, 16.

Licet enim nullæ delitiæ ipsum comitentur, fretus tamen bonâ conscientia suâ, angelorum quoque comitatu & protectione gaudere potest. Imò Christus ipse fugâ suâ, nostram sanctificavit, nobisq; perennem mansionē in cœlesti Hierosolymâ acquisivit, ubi cum ipso semper erimus, 1. Thess. 4, 17.

Væ autem illis, qui occasionem præbēt, ut verbi ministri et si innocentes in exilium abigantur: Dominus enim numerat fugas eorum, Psalm. 56. v. 9. & gemitus eorum, quos ad cœlum mittunt, non absconditi sunt ab eo, Psalm. 38, 10. ideoque justum erit apud Deum, reddere iis, qui affligunt nos, afflictionem: & nobis, qui tribulamur, requiem, in revelatione Domini Jesu de cœlo, 2. Thess. 1. v. 6, 7.

III. *Tanquam perseverantia coronator,* qui omnibus masculè certantibus pulcherrimam coronam impositurus est: Qui enim perseveraverit usque ad finem, hic salvus erit, Matth. 10, v. 22.

Mulier Cananæa omnes tentationes Christi fortiter superat, ideo eleganti eam Christus ornat coronâ, dicens: O mulier, magna est fides tua, fiat tibi, sicut vis. Et sanata est filia ejus, ex illâ horâ.

In hoc mundo, Imperatores & Reges coronis insigniuntur. Imò Pontifex Romanus triplicem portat coronam, quâ denotatur, quod in cœlo, in terra & sub terrâ domi-

dominetur. Sed hæ coronæ non adeo constantes sunt, Deus enim facile vanam, vanam, vanam facere potest, ejusmodi coronam, Ezech. 21. v. 27. juxta illud Siracidis: Rex hodie est, & cras morietur, c. 10. v. 12.

Imo terrenæ hæ coronæ sæpe plus molestiæ quam voluptatis afferunt.

Memorable est, quod in Comitibus Angustanis, Anno 1530. accidit. Cum enim Imperatori Carolo V. Germani nonnulli Principes homagium præstarent, ille sub cælo quodam, in hunc finem adornato, ornato Cæsareo sedebat, Coronam Imperatoream in capite gestans cum autem post nonnullos actus absolutos quidam alii adhuc absolventi restarent, molestia coronæ Imperator affectus jussit demittere. Hoc post deliberationem factam fecerunt t, Electores, Moguntinus, & Palatinus, tradentes Regi Ferdinando aliquantisper tenendam. Sed hic quoque tædio ejus captus, dedit eam

Baronide Limburg, qui postquam aliquamdiu eam in manu tenuit, pari ejus molestia affectus est.

Ita comparatum est, cum terrenis coronis; sed cælestis gloriæ corona, est immarcescibilis, 1. Petr. 5. v. 4. Hac redimitus fulgebit ut sol, in regno Patris, Matth. 13. v. 43. Est corona vitæ, Apoc. 2. v. 10. hanc qui gestat, non lædetur à morte secunda, Apoc. 2. v. 11. Est corona perfectæ sapientiæ Sir. 6. v. ult. hanc qui habet, plenus erit cognitionis Dei, eumque videbit sicuti est, 1. Joh. 3. v. 2. & à facie ad faciem, 1. Cor. 13. v. 12. Est corona justitiæ, 2. Tim. 4. v. 8. hac insignitus, nulla afficietur injuria, nihilque injusti unquam patrabit, sed veniet in tabernaculum justorum, ubi justitia habitat, 2. Pet. 3. v. 13. Rom. 14. v. 17. Id quod largiatur nobis Deus ex gratia per filium suum Jesum Christum, Dominum & Redemptorem nostrum, in Spiritu Sancto, Amen.

## Dominica Oculi.

*Evangelium Luc. 11. v. 14. -- 29.*

EXORDIUM.

**C**um Saulus Rex Israelitarum, voci Dei minus auscultasset, Spiritus Dei recessit ab illo, & exagitavit eum Spiritus malus à Domino. Unde suavis servorum suorum queri jus sit hominem, scientem psallere cithara, adductusque est David ad Saulum: quandoque igitur spiritus malus veniebat super Saulem, tum David tollebat citharam, & ludebat manu sua, & refocillabatur Saul,

& bene habebat: recedebat enim ab eo spiritus malus. 1. Sam. 16. v. 15. seqq.

*Hæc Historia egregium typum continet, boni dierni Evangelii.*

*Quod enim David respectu Saulis cithara sua effecit: Idem filius Davidis Servator noster pietissimus multifariam in diebus carnis suæ præstitit, per verbum vivum & potentissimum, quod ex ore ejus egressum est; cujus plurima exempla habemus, in*

R 3 No-